

1613

& sancti Germani marchio, Mediolani gubernator, in Sabaudum propensus, quod ab eo sancti Germani titulum acceperat, potius alere, quam supprimere flamas videbatur. Sabaudus & literis & nuntiis filiam una cum puella dimitti efflagitat: in id Franciscum Martinengium ac Lusernæ comitem, mox Victorium Principem filium Mantuam mittit; qui Ferdinandum nullis officiis de sententia dimovere, nullis precibus flectere queunt: in eo suarum ditionum suamque securitatem verti; puellam in Mantuana domo natam, non apud alium quam apud patrum esse decere, contendit.

Cum igitur nascentis incendiis initia nulla ratione opprimi possent, haud parum Venetorum animi solicitabantur, nisi cito occurratur, pacem Italiae turbatum iri conspicati. Itaque vetus institutum sequuti, Pontificem non modo, sed Galliæ ac Hispaniæ Reges, ad restinguendum incendium inflammant; ne firmioribus radicibus coalescere malum sinant. Atque ut amicum ac finitimum Principem, repente fratri obitu ad gubernacula sublatum, vix ephebis egressum (tertium enim ac vi- gesimum annum fere attigerat) solentur; Ferdinandum Rubrum, tormentorum præfectum, Gonzagæ domui valde carum, ad eum mittunt, qui egregiam illi Senatus voluntatem significet; quæcumque ad ejus tuendas ditiones a Republica profici possint, deferat. Cardinalis ingentes Senatui gratias agit, nec unquam apud se Reipublicæ beneficiorum memoriā intermorituram, profitetur. At denuo Victorius, Sabaudiæ Princeps, Mantuam contendit; eo Inojosæ marchio, gubernator, Asculanum Principem, complurium Hispanorum numero stipatum, proficiisci jubet. Civitas armatorum numero completur, arcatores custodias adhiberi Cardinalis præcipit; si vis inferatur, ad tuitionem se comparat; non enim deerant, qui vi Hispanos usuros, atque puellam, Ferdinando reluctante, amoturos arbitrarentur. Verum ille, omnia potius pati, quam ut sibi vis inferretur, statuerat, Cæsaris præfertim decreto munitus, quo apud eum matrem ac filiolam permanere sancitum fuerat. Erant etiam qui, si Ferdinandus viduam (cujus amore captum nonnulli affirmabant) sibi connubio jungeret, facile controversias omnes dirimendas, existimarent.

*Venetorum  
officia de di-  
fidis inter  
Sabaudum  
& Mantua-  
num compo-  
nendis.*

*Ferdinan-  
dus Rubens  
a Senatu  
Mantuam  
mittitur.*

*Victorius  
Sabaudiæ  
Princeps,  
& Ascula-  
num Man-  
tuam profe-  
ssi.*

In